

possit ad quodlibet bonum cogi, ne quis ex verbis illius male intellectus decipiatur, admonere decevi lectorem, ut intelligat non omnes iuste posse cogi ad fidem: sed considerandam esse illius, qui cogitur, qualitatē. Si quis numquam fidem Christi suscepit in baptismo, sicut sunt Judæi, aut Sarraceni, aut Pagani, is certe non est minimus, & terroribus compellendus ad fidem: quia credere voluntatis est. Si quis vero fidem jam semel in baptismo suscepit, & postea eam deseruit, quemadmodum apostata, & reliqui hæretici faciunt, is merito compellendus est, ut fidem quam semel suscepit, teneat. Ratio autem hujus discriminis est: quia jure naturæ quisque obligatur, ut quod semel promissit, reddat: & sic ex eodem jure oritur, ut potestas publica possit illum cogere ad promissa servanda. Licet enim cuique liberum sit aliquid promittere, vel non promittere: tamen postquam illud promissit jam non est in ejus potestate, servare promissum, vel non servare. Nam per promissionem suam se subdidit potestati publicæ, ut possit ab ea ad servandum promissum compelli. Idem profus dicendum est de voto, & redditione voti. Vivere siquidem libertatis est, reddere autem necessitas. Ad primum quidem nemo cogitur, ad alterum vero iuste quisque compellitur. Judæis, & Sarracenis, & cæteris infidelibus liberum est fidem velle suscipere, vel non suscipere. Liberum dico non quidem ad beatitudinem consequendam, ita ut sine fide possint vitam consequi sempiternam sicut cum ea: sed liberum dico, quoad publicam humanam potestatem: quia non sunt in hoc publicæ potestati subiecti, ut possint ad fidem Catholicam suscipiendam compelli. Postquam autem jam fidem in baptismo susceperunt: quia tunc se illam in potestatem servaturos promiserunt, merito ad id, quod susceperunt tenendum, & quod promiserunt servandum, compelli possunt. Hæc nostra sententia confirmatur auctoritate Concilii Tolentani quarti, quod in capite suorum decretorum 56. postquam definiat Judæos & Sarracenos non esse ad fidem Catholicam cogendos, ita ait: Qui autem jam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti: quia jam constat eos sacramentis divinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis & sanguinis Domini extitisse participes: oportet, ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemaretur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Hæc Concilium Tolentanum. Quæ verba habentur in volumine decretorum in cap. de Judæis 45. distin. Ex quibus verbis clarissime patet hæreticos esse ad fidem Catholicam, quam deseruerant, cogendos. Quod autem obijciunt, neminem esse cogendum ad id, ad quod inutiliter cogitur, fateor. Sed numquid hæreticus inutiliter cogitur ad fidem suscipiendam? Minime. Quia multiplex ex hac compulsionē succedit utilitas. Prima est ipsius hæretici emendatio, quæ ex punitione facile oriri potest: quoniam sæpe aliquid timore incipitur, & tandem perfecto amore finitur, & tunc (ut Beatus Joannes in sua 3. Canonica Epistola cap. 4. ait) *perfecta caritas foras mittit timorem*. Sed obijciunt, multis ista non prodesse: sed per tales poenas multos factos Christianos fieri, qui & si publice se dicant fidem tenere, mente tamen negant. Huic objectioni ego juxta Beatum Augustinum respondeo, quod non ideo contemnenda est medicina: quia aliquorum insanabilis pestilentia per illa non sanatur. Non est enim vitium medicinæ: sed morbi, cum ea, quæ aliis

morbis medicina succurrit, alicui ejusdem generis morbo non medetur. Deinde etiam si aliquibus hujusmodi compulsionē ad salutem non proficit, non tamen ideo inutilis censenda est: quia tunc publica consideranda est utilitas, quæ multo major est, quam privata. Nam per talem punitionem cohibentur hæretici, ne suas hæreses publice prædicent, & doceant: & sic sua pestifera doctrina totam rempublicam inficiant. Magna siquidem est totius reip. utilitas, si illa à pestiferis hæreticorum doctrinis immaculata custodiatur. Unde colligimus melius esse, hoc est, minus malum, occultos hæreticos tolerare, quam publicos permittere: quia hi per effrenatam, licentiosamque audaciam multo nocentiores sunt, quam illi, qui timore poenæ, veluti fræno quodam cohibiti, in publicum prodire non audent. Secundo sic arguunt Hæretici verbis, & rationibus convincendi sunt, non sunt ergo poenæ, & afflictionibus ad fidem cogendi. Consequentiam dicunt esse notam, & assumptum probant: quia B. Petrus docet, *debere nos omnes esse paratos reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in nobis est, fide*. Fateor quidem (& hoc ipsum jam supra docui) bonum esse prius hæreticos verbis admonere, rationibus illos juxta eujusque hæretici conditionem applicandis. de sua hæresi convincere: sed quia multi tunc adeo perniciter, & iudurati, ut citius frangantur, quam emendantur, opus est circa illos id agere, quod B. Iidorus ait: *Qui blando verbo (inquit ille) castigatur, & ne corrigatur, necesse est, ut acrius arguatur*. Cum dolore abscondenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Hæc ille. Pastor, qui videt lupum invadentem gregem ovium, vocibus primo contra illum clamat, ut vel sic illum à grege arceat: & si vocibus illum minime deterrerit, conficit, baculo, & funda, & gladio, & sagitta, si opus est, illum aggreditur, ut e grege propellat, & sic oves illas custodiat. Pastores sunt Ecclesiæ Prælati, qui vigilat super subditos, tamquam super oves sibi commissas, pro quibus sunt Deo reddituri rationem. Lupi autem, qui his ovibus maxime nocent, hæretici sunt, de quibus Saluator noster apud Matthæum cap. 5. ait: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Et Paulus in Actibus Apostolorum, hæreticos appellavit lupos sic iniqui: (*Act. 10.*) *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parentes gregi*. Ne igitur hæretici aliis noceant, oportet illos tamquam lupos rapaces flagellis, & fustibus percutere, si admonitione blanda non compescuntur. Coguntur medici multas, & varias perquirere medicinas cum vident usitata, & communia remedia non proficere, & quo magis incurdescunt morbi, eo efficaciora sunt quaerenda antidota, quæ illos ab humano corpore citius, & melius propellere valeant. Apertissimum certe, & optimum salutis medicamentum circa hæreticos ad fidem reducendos, est lenitas & mansuetudo, per verba monitoria, & sermonum blanditias. Cum vero hoc pharumacum, ob induratam hæreticorum malignitatem, nihil illis prodesse cognoscitur, debent hi, quibus talium morborum est cura commissa, asperioribus in illos, & acerbioribus uti medicamentis. Nam Dominus, & Redemptor noster Jesus Christus totius lenitatis, & mansuetudinis exemplar, factus ex funiculis flagello nummularios omnes è templo ejecit, oves quoque, & boves eorum, æs illorum effudit, & mensas subvertit. (*Joan. 2.*) Si hoc nummularis fecit, multo acerbiorum se hæreticis præstitisset: quoniam multo gravius hæreti-

co-

corum, quam nummulariorum est peccatum, & multo plus hæretici, quam nummularii Ecclesiæ nocere possunt. Tertio sic arguunt hi, qui pro hæreticorum impunitate contendunt. Perfecta vivendi forma, quam Christiani omnes tenere debent, in sacro Evangelio, & in Pauli, & cæterorum Apostolorum Epistolis plenissime continetur. Evangelium autem, aut Apostolorum Epistola non docent Christianos debere Principum favorem contra hæreticos implorare, neque Principes debere molestiam aliquam hæreticis inferre: ergo Principes, qui hæreticos puniunt, & qui ad hanc punitionem Principum favorem implorant, contra Christi, & Apostolorum doctrinam faciunt. Huic objectioni dupliciter respondeo. Primo quidem nego nullam esse in sacro Evangelio, & in Apostolorum epistolis, de hæreticorum punitione doctrinam. Nam Christus Saluator noster de fratre peccatore reprehensio, & non emendato loquens, apud *Marc. 18.* ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et paulo ante in eodem cap. dixit: *Vae homini illi, per quem scandalum venit: expedit enim ei, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundo maris*. At nulli sunt, per quos gravius nascatur scandalum, quam per hæreticos: expediens igitur est, ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, & demergatur in profundo maris. Et Paulus Apostolus præcipit hæreticum hominem semel, & iterum admonitum fore ab hominum consortio devitandum. (*Tit. 3.*) Et Galatis scribens satis aperte insinuat hæreticos ab hominum communione repellendos sic inquit: (*Cap. 5.*) *Utinam abscondantur, qui vos conturbant*. Nulli autem sunt qui graviore, & magis noxias turbationes inter fideles excitent, quam hæretici: qui novas quotidie fingunt doctrinas, quibus Dei populum ab unitate fidei separare contendunt. Deinde & si in sacro Evangelio, aut Apostolorum Catholicis Epistolis nulla de hæreticorum punitione reperitur aperta doctrina, non tamen ideo consequens est illorum punitionem non esse justam. Quoniam tunc consulto, & ex industria, hæreticorum punitione tacita fuit, ne fides sacri Evangelii humane tribueretur potentia. Nam cum ea, quæ fide creduntur, omnem humanum superent intellectum, oportebat fidem Evangelii divinæ ascribere virtuti, & non humanæ sapientiæ, aut potentia. Propter hoc Christus Saluator noster primos discipulos suos, per quos fides Evangelii prædicanda erat, non sumpsit Philosophos, aut alios viros doctos: Sed simplices, & idiotas, & profusos illiteratos. Ita etiam ne eadem fides humanæ imputaretur potentia, oportuit fidem hanc non per Imperatores, aut Reges, aut Duces, aut quoslibet alios mundi potentes: sed per homines pauperes, & infirmos, & impotentes per totum orbem prædicari. Postquam autem jam semel per totum orbem fides Evangelii fuerat prædicata, & Principes terræ vivificæ Crucis vexillum portantes sub Christi nomine militare ceperunt, & diademata Regum obedientia fidei se subdidit, jam tunc oportuit, ipsam fidem contra hæreticos acerbissimos ejusdem fidei hostes, Regum & Principum armis foveri, & eorum auctoritate, & majestate consolidari. Quemadmodum enim olim David licet Rex erat, & ex mandato Dei per Samuelem Prophetam unctus, patienter expectavit, & mansuete cum Saule egit, donec Deus Saule de medio sustulit, quo è vita sublato, Regalia omnia exercuit, sic etiam Ecclesia non est à principio potestate gladii materialis in suos subditos usata: sed cum omni mansuetudine expectavit,

Tom. II.

donec Deus jugo suo colla Regum terræ subderet. Quarto argumentantur contra nos ab exemplo Apostolorum, & aliorum Ecclesiæ procerum, qui in principio nascentis Ecclesiæ, fidem Catholicam verbo, & exemplo perfectissime docuerunt. Illi enim (quamvis multi tunc erant hæretici videlicet Simon Magus, Menander, Saturninus, Cerdon, Ebion, Cerinthus, Marion, Valentinus, alique plures, quos enumerare, non est opus, numquam tamen leguntur Principum terræ favorem, aut auxilium contra hæreticos implorasse, neque ab illis petiisse, ut hæreticos poena aliqua punirent, qua illos ad Catholicam fidem redire compellerent. Non licet igitur Christianis nunc favore Principum hæreticos persequi, alioquin discedent longissime à Apostolorum imitatione, quod maxime reprobandum est. Hanc objectionem (ut testatur Augustinus super Joannem) opposuerunt Donatistis qui hæreticos persequerantur. Sed hanc objectionem facile refellit Beatus Augustinus dicens, quod in principio nascentis Ecclesiæ ideo Apostoli, & eorum successores non petierunt Principum favorem contra hæreticos: quia nullus tunc Imperator, aut Rex obediens Evangelio, nullus tunc fidem Christi Redemptoris nostri susceperat. Sub illis quidem temporibus principes Romani fuerunt Nero, Domitianus, Trajanus, Decius, & alii similes crudeles tyranni, qui omnes fidem Catholicam acerbissime sunt persecuti. Nondum tunc impletum fuerat, quod Spiritus Sanctus, per os David prædixerat. (*Psal. 2.*) *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Et iterum: (*Psal. 71.*) *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei*. Quomodo Apostoli, & qui illos proxime sunt secuti, favorem, & auxilium tunc peterent, ab illis, quos sciebant esse fidei Christianæ apertissimos hostes? Non enim tam stupidi, & dementes erant Apostoli: ut ab his, quos optime noverant, fidem Catholicam ardentissime persequi, favorem pro ejusdem fidei tutela contra hæreticos peterent. Quod ergo Apostoli, & illorum proxime vicini, non petierunt favorem Principum contra hæreticos, non fuit quia hæretici non fuissent punitione digni: sed quia gladius Gentilium Principum, & Imperatorum nondum serviebat Evangelio. Postquam autem Imperatores sacro baptismate sunt abluti, & Christo nomina dederunt, & de ejus nomine gloriari ceperunt: jam tunc Christiani favorem Principum contra hæreticos petere non dubitarunt. Nam à magno Constantino viri Catholici in Concilio Nicæno petierunt auxilium, quo possent hæreticos extirpare, quorum petitioni piissimus Imperator libentissime annuit, & sic Arrium cum suis asseclis damnavit exilio: quia fidem Nicæni Concilii volebat recipere. Theodosius Imperator punivit hæreticos Manichæos privatione omnium bonorum suorum: privavitque illos omni hereditaria successione. Horum exempla sequuti alii Imperatores, & Reges Christiani, varias successu temporum hæreticos leges ediderunt: ut per legum severitatem, insanam hæreticorum audaciam compescerent. Hac etiam de causa (ut Augustinus ait) cum multi ex septuaginta discipulis à Domino, & Salvatore nostro discessissent, & arbitrio suæ malæ, & impiæ discessionis ille eos permisisset, cæteris duodecim, qui permanerant dixit: (*Joan. 6.*) *Numquid & vos vultis abire?* Hoc quidem tunc Saluator noster fecit: quia quamvis magnam haberet tunc etiam potestatem, qua uti potuisset illos puniendo, & compellendo, prius tamen elegit commendare humilitatem.

Bb

Tunc

Tunc enim spretus erat Christus, & nondum adorabant illum Reges terræ, neque Gentes serviebant ei, quemadmodum de illo Propheta regius prædixerat. (*Psalm. 71.*) Quæ Prophetia quanto magis impletur, tanto Ecclesia Christi sponsa majore utitur potestate, ut non solum inviter, sed etiam compellat ad bonum. Nam homo ille qui cœnam magnam fecerat, cum illi, qui ad eam invitati fuerant, venire recussissent, ait servo: (*Luc. 14.*) *Eri cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Et ait servus: *Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est.* Et ait Dominus servo: *Eri in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* De his qui primo venerant, dictum est: *Introduc eos.* De posterioribus vero dictum est, *compelle eos intrare.* Quod primis dictum est, ad illa tempora referri debet, in quibus fidem Catholicam Reges & Principes terræ nondum susceperant. Tunc enim quilibet arbitrio suæ voluntatis dimittebatur. Quod posterioribus dictum est, posteriora respicit tempora, quando gladius Regum & Imperatorum servire cœpit Evangelio. Et in his temporibus, non solum invitari debent hæretici, sed compelli ut fidem Catholicam, quam semel in Baptismo susceperunt, corde credant ad justitiam, & ore confiteantur ad salutem.

CAPUT V.

De hæreticorum pœnis, & primo de corporalibus, deinde de spiritualibus sigillatim tractatur, & nunc primo de bonorum temporalium confiscatione.

Ostendimus jam manifestissimis (ut opinor) argumentis justam, & necessariam esse hæreticorum punitionem: superest, ut pœnas, quas jura hæreticis decernunt, sigillatim pertractemus, & merito illas esse decretas convincamus, ut vel sic obmutescere faciamus impudentem quorundam hominum audaciam, qui Pontifices & Reges de nimia adversus hæreticos severitate notant. Multæ, & varix sunt pœnæ, quibus Ecclesiasticæ sanctiones, Imperatorumque leges hæreticos plecti jubent. Quædam enim sunt spirituales pœnæ, quæ animam solum respiciunt. Aliæ sunt corporales, quæ corpus affligunt. De singulis suo ordine dicemus, & primo de corporalibus, postea vero de spiritualibus pœnis differemus. Inter corporales pœnas, una & quæ non parum hæreticos vexat, est bonorum omnium proscriptio, & confiscatio. Nam qui hæreticus est, ipso jure omnium bonorum suorum dominio privatur, & in ejus locum fisco subrogatur, si hæreticus est secularis, & in terris dominorum secularium. Si vero hæreticus est secularis in terris Ecclesiæ, aut est Clericus, bona ejus applicantur fisco Ecclesiæ: nisi Clericorum bona essent Ecclesiæ, vel ipsi haberent stipendium ab Ecclesia, quia applicantur Ecclesiæ, cujus erant, vel à qua stipendium acceperant. cap. Excommunicamus, §. damnati, extra de hæreticis. Justa siquidem pœna, & merito contra tam grave scelus statuta, ut hujus tam acerbæ pœnæ metu, hæretici suas hæreses aliis palam facere reformident. Divitiarum siquidem cupido, & amor, multorum animos adeo vehementer percellit, ut pro illarum tutela nullum prætermittant laborem, nihilque intentatum relinquunt, etiam si pro illarum conservatione oporteat periculo se exponere mortis. Quamvis autem est divitiarum amor, tanta inde succedit lætitia, & voluptas cum possidentur,

& tantus dolor cum amittuntur, postquam fuerant semel possessæ. Bona enim læce pensantur odium & amor: gaudium & dolor: lætitia & tristitia. Quantum quisque rem aliquam amat, gaudet, & lætatur de illius presentia, tantum habet exotiam ejusdem rei privationem, dolet, & tristatur ex ea. Et hinc evenit, ut quotquot divitias ardentem amant, suspiciosi reddantur & timidi. In omni siquidem negotio formidolosus est dives, quam pauper, cautius munit ædes furum metu. Metuit tempestates propter frumenta, quæ habet in agris, & propter merces, quas habet in mari. Meruit amicos, ne fortasse illis rogantibus aliquid donare cogatur. Metuit inimicos, ne vi aut fraude aliqua illata, aliqua ex parte noceant. Timidus, & parcius convitiatur metu multatæ.

Omnia denique circumspiciunt, & dicit metu calumniæ, quæ potissimum divitibus strui solet: quoniam habent, quod illis auferri possit. Ob hanc causam sapientes legumlatores cum leges aliquas considerant, quas summe observatas esse cupiebant, aliquam pecuniæ multam earundem legum transgressoribus statuerunt, ut metu multatæ pecuniæ homines ad illarum legum transgressionem detererent. Solon, qui nunc inter septem Græciæ sapientes numeratus est, aliquibus earum legum, quas Atheniensibus dedit, quo melius observarentur, certam aliquam pecuniæ multam adjecit. Nam (ut Plutarchus in vita Solonis refert) si quis sacris in locis, vel in judicio, vel apud magistratus, aut cum certaminum spectaculum instaret, in vivum aliquem esset maledictis invehctus, eum quinque drachmis multari, quarum tres, illi, qui fuisset injuria affectus, duas alias ærario publico solvere jussit. Si quis etiam raptæ liberæ mulieri vim intulisset, eum decem drachmis multari præcepit. In Romano autem imperio multæ, & varix sunt leges, quæ aliquorum scelorum patroribus aliquam certam pecuniæ pœnam decernunt. Multæ etiam sunt aliæ, quæ propter graviora alia scelera, eos qui illa perpetrarunt, omnium bonorum dominio, & possessione privant. Si quis enim crimine læsæ majestatis fuerit infectus, eum lex jubet eo ipso omnium bonorum suorum possessione esse privatum, l. quisquis, C. ad legem Juliam majestatis.

Quæ pœna adeo vim suam, & potestatem extendit, ut etiam valeat post mortem. Quoniam, & si reus non fuerit de hoc crimine accusatus in vita, potest post mortem accusari, & si fuerit tunc convictus, tunc bona ejus reperentur ab his qui possident. Sic enim sanctum est in l. penult. & ultim. eodem tit. Falsarii monetæ eo ipso omnium bonorum suorum possessionem amittunt. l. penult. C. de falsa moneta. Bona contrahentis incestas nuptias, fisco sunt jure ipso applicata, ut patet in authent. incestas, C. de incestis, & inutilibus nuptiis. Raptor ingenuæ mulieris, sive illa virgo tunc fuerit, sive desponsata, sive vidua, & qui illum comitatus est in invasione, & rapina, omnium bonorum suorum dominio privatur, & bona ejus ipsi raptæ applicantur, l. unica, §. & si quidem, C. de raptu virginum. Omittit alia municipalia jura, quæ cum multa & varia sint, ut tamen ultimum ex illis tam multis reperietur, quod ad crimina aliqua coercenda certam aliquam pecuniæ multam non statuerit, his qui talia crimina commississent. Si in his omnibus, atque aliis id genus legibus, quæ communi totius populi consensu probatæ sunt, alicujus certæ pecuniæ multa, aut omnium bonorum privato, ad crimina talia coercenda juste decreta esse dicitur, multo justius est, ut hæretici, quorum multo gravius est, quam

aliorum peccatum, omnium bonorum suorum proscriptio cohibeantur. Nam (ut optime dicitur in l. Gazaros, C. de hæreticis, & Manichæis) longe gravius est æternam, quam temporalem offendere Majestatem. Ex quo apertissime colligitur, ut multo etiam justius sit hæreticos, quoniam divinam offendunt Majestatem, omnium bonorum proscriptioe punire, quam eos, qui humanam Majestatem quovis alio crimine lædunt. Ad idem, si falsarii monetæ juste omnium bonorum suorum dominio privantur, multo justius est, ut consimili pœna feriuntur hæretici, qui multo peiores falsariis sunt, quam illi. Quia hæretici falsa, & erronea dogmata pro veris disseminant, & sacram scripturam ad falsum, & longe à Dei spiritu alienam, detorquent sensum. Nonne multo pretiosior est scriptura sacra, quam quævis, & quantalibet mundi pecunia? Multo ergo malignior est, qui scripturam sacram falsificare contendit, falsum illi adhibentes sensum, quam qui falsam cudid pecuniam. Quo fit, ut multo etiam gravius sit puniendus. Præterea justum est, ut pœna respondeat culpæ, & in eo quisque puniatur, in quo peccavit, aut in eo, unde peccati sumptus occasione. Hac enim ratione Salomon in libro Sapientiæ, cap. 11. probat justas fuisse plagas, quibus Deus Ægyptios idololatrias afflixit, sic inquires. *Quod quidam errantes colebant multos serpentes, & bestias supervacuas, immisit illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, ut scirent: Quia per quæ quis peccat, per hæc, & torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisibile, immittit illis multitudinem urforum, aut audaces leones, aut novigenis ira plenas, & ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus præ timore occidere. Nam & sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Hæcenus Salomon in sapientia. In quibus verbis id advertendum est, quod ait: Deum per Muscas, & cyniphes, & locustas Ægyptios punivisse, non quod aliæ illi defuerint pœnæ, quibus illos affligere potuissent: sed quia nulla erat culpæ convenientior, ut in ipsis animalibus puniretur, quæ illi maximo venerantur honore. Ex hoc eodem argumento colligimus, ut licet sint aliæ multæ pœnæ, quibus hæretici possunt puniri, omnium tamen bonorum suorum proscriptioe juste plectantur, ut in eo puniantur, quod illis præbuit suæ hæresis occasione.

Nam inter multas hæresum causas, una, & non parva est (ut lib. 3. cap. 1. ostendimus) avaritia, quæ portam latissimam ad hæreses introducendas aperit. Unde Paulus in prima ad Timotheum Epistola, cap. 6. ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & infererunt se doloribus multis.* Et in Epistola ad Colossenses, cap. 3. avaritiam dicit esse idolorum servitutem. Hoc etiam docuit Salvator noster apud Matthæum, cap. 23. in parabola illa nuptiarum, quas rex quidam filio suo fecit, & misit servum suum vocare invitatos ad illas, & noluerunt venire. Ex illis autem, qui venire neglexerant, fuit unus, qui abiit in negotiationem suam. Nam quia divitias amabat, pro illis acquiren-

dis negotiationi operam dabat, & ideo hanc gaudio nuptiarum prætulit. Nuptiæ, quas Rex filio suo facit, juxta omnium factorum Doctorum interpretationem, figuram gerunt incarnationis filii Dei. Ad has nuptias per servum suum Deus invitat, quando per prædicatorem suum vocat ad fidem incarnationis. Sed ad hanc venire negligit, qui divitias amat, & negotiationi intendit. Nam qui divitias effrenate amat, filium Dei pro nobis pauperem effectum despiciet, & illius Evangelium, quod paupertatem extollit, & nobis illam valde commendat, nullam præstabit fidem. Hanc enim esse arbitror unam ex potissimis causis, propter quam multi ex Judæis fidem Catholicam suscipere recusant: quia divitias vehementer amant, & pro illis acquirendis usuras exerceant, quas, si ad fidem Evangelii converterantur, sciunt non esse illis permittendas. Deinde, qui divitias ardentem amat, & si fidem semel jam in Baptismo susceperit, quæ illum ad credendum Evangelio cogat, quicquid tamen pro paupertatis commendatione, & pro divitiarum contemptu in Evangelio legit, ad alium detorquet sensum: Quia voluntas nimio divitiarum amore infecta, totum intellectum ad illarum favorem convertit, & trahit. Et sic intellectus obcæcatus pro illis sentit, pro illis loquitur, pro illis prædicat, & docet. Unde Beatus Hieronymus exponens Psalmum 143. in illo versu: *Boves eorum crassif, sic ait: „Vidit & Pharaon in somnio boves crassos, „Israelitici populi tenues sunt, Ægyptii crassif. Videris „enim magistros hæreticorum nihil aliud facere, nisi „studere divitiis. Divitiis student, & pauperem Chris- „tum contemnunt. Hæc Hieronymus. Sed præter hæc „scripturarum testimonia, extant etiam non pauca exem- „pla, quæ apertissime comprobant sæpe hæreses ex avari- „ritia oriri. Nam (ut ex multis aliis pauca profera- „mus) Jeroboam ille, qui super decem tribus erectus „est in Regem Israel, timens, ne si populus Israel occasione adorandi verum Deum ascenderet Hierusalem, „& sic converteretur cor populi ad Dominum (suum Ro- „boam Regem Juda, & sic ipse Jeroboam regnum quod „jam tenebat amitteret, excogitato consilio fecit duos „vitulos aureos, & dixit populo Israel: (3. Reg. 12.) „Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce dii tui Israel, „qui te educerunt de terra Ægypti, possuntque unum in Be- „thel, & alterum in Dan. Ex quo factum discimus, avari- „ritiam ipsius Jeroboam, ipsum & totum illius regnum, „non solum in hæresim: sed in apostasiam, & idololatriam projecisse. Et hunc Jeroboam omnium hæreticorum typum tenere, testatur Angelomus in commentariis super libros Regum, exponens hoc, quod nunc diximus ipsius Jeroboam scelus. Idem etiam docet Beatus Hieronymus super septimum Amos Prophetæ caput. Manifesta est etiam, atque à Christo acerbe damnata hæresis illa Phariseorum doctumque populum, melius & Deo gratius esse hostias in templo offerre, quam illas parentibus egentibus distribuere. (Matth. 15.) Hæc autem Phariseorum hæresis ex apertissima illorum procedebat avaritia. Ex hac etiam pessifera radice ortus est Græcorum error, qui (ut Guido Carmelita de illis refert) docent usuras esse licitas. Denique (ut multa alia exempla præteream) unum solum, & alterum profertur, quæ satis erunt ad offendendum quam potens sit effrenata avaritia ad fidem subvertendam, & hæresim inducendam. Ildorus in lib. illustrum virorum, quem post Hieronymum, & Gennadium fecit, de Ofio Cordubensi Episcopo differens, hæc, quæ sequuntur verba*

vendere, permutare. Qui enim est dominus alicujus rei, potest illam vendere, permutare, aut donare: nisi forte sit à lege, ne hoc facere possit, impeditus, sicut contingit in minore viginti quinque annis qui nihil horum de rebus suis facere potest. Non quidem, quia non sit illarum rerum dominus: sed quia per legem est prohibitus; ne aliquid horum de rebus suis facere possit. Idem etiam contingit in muliere nupta, quæ licet rerum suarum habeat dominium: tamen sine mariti licentia, & assensu nullo pacto in alterius dominium, & potestatem, illam transferre valet. Si hæreticus ante damnationem est dominus bonorum suorum, consequens est, ut ante damnationem possit illa donare, vendere aut permutare: quia nulla lege est impeditus, ut dominio penes illum manente, nihil horum agere possit. Si quis concedat hæreticum ante damnationem posse bona sua vendere, aut permutare, aut donare, convincitur hoc esse falsum per hoc, quod post condemnationem omnes tales contractus rescidentur, & nullius fuisse roboris judicabuntur. Hoc autem non fieret, si ante damnationem tales contractus aliquid valuissent. Nam (ut proxime superius ex Aristotele diximus) quod semel factum est, infectum esse non potest. Deinde, si hæreticus ante damnationem habet verum omnium bonorum suorum dominium, sequitur inde, quod illo ante damnationem mortuo, filius Catholicus illi succedens habeat inter verum illorum bonorum dominium: quia succedit omnibus bonis quorum pater erat dominus. Si hoc conceditur, prout necesse est illum concedere, sequitur ex eo, quod licet postea confiteretur de hæresi patris defuncti, & propter illam damnetur post mortem, bona illa, quæ jam filius habet, non erunt ab illo auferenda, & sicut applicanda: quia non est justum, ut quis sine culpa sua privetur bonis suis, quorum verus erat dominus. Hoc tamen falsum esse convincitur, per eap. Accusatus §. in eo vero casu de hæret. lib. 6. Rursum hæc sententia aperte contrariatur textui illius cap. cum secundum leges. Ibi enim decernitur bona hæreticorum esse ipso jure confiscata. Si ad bonorum hæretici confiscationem (ut hæc opinio ait) requiritur judicis declaratio, non sunt ergo bona illa ipso jure confiscata. Non est enim aliud dicere, ipso jure: nisi quod solius juris potestate, sine alicujus hominis sententia, sunt confiscata. Et (ut nostram sententiam firmiorem reddamus) producimus in simili causa, & negotio exemplum aliquod, per quod res ipsa clarius innotescat. Nam argumentum à simili, magnam habet apud jurisperitos vim, & potestatem. Qui commisit crimine aliquod, cui in poenam est à jure inflicta excommunicatio, quamvis ad hoc, quod sit ab aliis evitandus, juxta Constantiensis Concilii edictum, requiratur judicis declaratio, ut tamen iste in excommunicationem incidat, nulla requiritur sententia, aut declaratio. Nam per hoc differt excommunicatio inflicta à jure, ab excommunicatione inflicta à homine, quod prima nullam requirit hominis sententiam, ut illa suum sortitur effectum, secundam vero sine sententia judicis nullus incurere potest. Hæreticus ante damnationem est excommunicatus: ergo ante damnationem est etiam bonorum suorum dominio privatus. Consequentia probatur esse bona: quia hæc poena hoc est ipso jure inflicta sicut illa: ergo etiam ante judicis declarationem incidat in hanc sicut in illam, cum non ob aliam causam statim sine judicis declaratione (ut diximus) incidat in excommunicationem: nisi quia illa est ipso jure inflicta. Deinde, si sicut ante condemnationem hæretici, non

acquisisset dominium bonorum illius, sequeretur sicut ante talem sententiam peccate, quando à iudice petit donari sibi bona alicujus, quem intendit probare esse, aut fuisse hæreticum: hoc autem nullus sane mentis concederet. Quod autem hoc ex illo sequatur, per hoc fit manifestum, quod sicut sic petens petit, quod non est suum sed alienum: ergo injuste petit, præsertim cum non ob aliam causam bona illi petat, nisi ob solam hæresis criminem, in quod certissime scit illum ejus bona petit lapsurum fuisse. Quod autem hæc opinio pro se afferat, parum, vel (ut verius dicam) nihil sententia suæ favet. Nam quod dicitur in §. confiscationis non respicit hæreticum: sed sicut, nec in illa parte textus. Papa loquitur de hæretico, amittit dominium bonorum suorum ante judicis declarationem, sed loquitur de apprehensione, aut occupatione bonorum per sicut facienda, quam omnino fieri prohibet ante judicis Ecclesiastici declarationem. Et merito id prohibet, quoniam ad laicam, sive prophanam potestatem non spectat de crimine hæresis judicare: quia in illius judicio sepius errare solet. Ut autem quod dicimus clarius ostendamus, oportet in hac causa duas considerare personas, duas etiam operationes juxta personatum diversitate, valde diversas, quarum una uni convenit personæ, altera alteri. Sunt quidem in hoc negotio hæreticus, & sicut persona, valde diversa. Sunt etiam dominium, & possessio, quæ sunt diversæ, quarum quælibet ab alia separari potest. Nam potest esse dominium sine possessione, & possessio sine dominio, ut cuilibet est notissimum. Juxta has duas personas, & has duas rerum qualitates, duæ etiam sunt partes in illo capite cum secundum leges. Prima habet injuriam capitis. Secunda pars est in illo §. confiscationis. In prima agitur de dominio bonorum hæretici, & illud ab hæretico tollit, & sicut tribuit: decernens, ut bona hæretici sint ipso jure confiscata. Sed quia dominium ablato ab hæretico, non statim erat ablata possessio: & similiter, quia dominium concessio sicut non statim intelligitur concessio illi possessio: ideo in secunda parte illius cap. in illo §. confiscationis agitur de concessione possessionis. Et hæc dicit sicut capere non posse: nisi prius per aliquam personam Ecclesiasticam, quæ hoc facere possit, sententia fuerit super crimine promulgata. Nullus enim potest rem suam ab injusto possessore derentam, per vim, & violentiam ab illo capere: sed judicis auctoritate id faciendum est. Si quis ad se fundum & h. §. C. ad legem Juliam de vi publica, sive privata. Quia igitur Papa in illa prima parte cap. dominium bonorum hæretici abstrahat ab ipso hæretico, & concesserit sicut, prohibet in secunda parte: ne prætextu hujus domini, talium bonorum possessionem, auctoritate propria capiat: sed publicam expectet potestatem, quæ sibi bonorum possessionem tribuat. Talem autem publicam potestatem, dicit esse personam Ecclesiasticam potentem de crimine hæresis judicare, & illius declarationem super crimine hæresis promulgata, satis esse dicit ad hoc, ut sicut bona hæretici occupare possit. Textus ergo illius §. confiscationis dicit necessariam esse judicis Ecclesiastici declarationem, ad hoc, ut sicut possit bona hæretici apprehendere, & illorum possessionem capere, non autem ad hoc, ut talium bonorum dominium acquirere valeat: quoniam jam ante talem sententiam in prima parte cap. concesserit illi talium bonorum dominium. Per talem ergo sententiam, qua aliquis damnatur, sicut hæreticus, ille non privatur dominio bonorum suorum: sed per illam declarationem, &

innotescit illum esse jam privatum tali dominio, quæ quidem privato ante talem sententiam aliis non erat in manifestata, & per talem sententiam habet, quod possit capere possessionem. Et certe si hæc rerum diversitatem advertisset Archidiaconus vir aliquo doctus aliter sensisset. Hæc igitur opinio tanquam falsa rejecta, est alia verior opinio Joannis Andrea in hoc eodem cap. cum secundum leges, qui dicit hæreticum à die commissi criminis amittere dominium omnium bonorum suorum. Hæc opinio tenetur multi alii docti viri in jure canonico. Abbas in 1. cap. Excommunicamus, extra de hæreticis. Dominicus de Sancto Gemignano in præfatio cap. cum secundum leges. Petrus de Ancharano super 6. in eodem cap. Hi omnes censent hæreticum à die commissi criminis esse privatum dominio bonorum suorum. Quod autem dicunt à die criminis commissi intelligendum est, non de solo crimine hæresis. Quia non eo ipso, quod quis labitur in crimine hæresis, amittit bonorum suorum dominium, sed solum postquam tam pertinax est in hæresi, ut jam merito (juxta ea, quæ in lib. 1. diximus) hæreticus censeri debeat. Sicut enim non omnis, qui labitur in hæresi, nisi adit pertinacia, est censendus hæreticus: ita nec omnis talis seclusa pertinacia amittit bonorum suorum dominium. Nam in cap. cum secundum leges Papa non decernit esse confiscata bona lapsorum in hæresi: sed bona hæreticorum, ex quo sequitur, quod lapsus in hæresim, si admonitus de illa statim revocat errorem suum, non est ipso jure privatus, immo nec privandus omnibus bonis suis: Quod bene notandum est non solum in hac poena: sed in omnibus aliis, quas jura hæretici decernunt, sive illa sint ipso jure inflictæ, sive per judicem infligenda. Nullam siquidem illarum poenarum jus statuit esse dandam illi, qui solum lapsus est in hæresim: sed illi, qui est hæreticus. Illis autem qui admoniti statim revocant, & damnant errorem suum, poena est ad arbitrium judicis imponenda, considerata prius erroris, & personæ qualitate. A solo ergo illo temporis momento, quo merito censeri potest hæreticus, censendus est etiam amittere omnium bonorum suorum dominium. Ab illo tempore hæreticus usque ad sui criminis damnationem, habet solum bonorum suorum nudam possessionem, absque ullo illorum dominio. Fiscus vero circa illa bona contrariam tenet conditionem: habet enim circa illa ante criminis damnationem dominium solum absque ulla possessione. Et inde necessario sequuntur duo, unum ratione amissi domini, alterum ratione possessionis retentæ. Ex hoc, quod possessionem retinet, quamvis (ut postea dicemus) non à jure sibi concessam, sequitur hæreticum illo tempore non posse excludi ab agendo contra proprios debitores per exceptionem hæresis: quia antequam sit possessio privatus, sicut retinet bonorum possessionem, ita etiam illorum administrationem, & per consequens tanquam administrator illorum potest agere contra proprios debitores. Ratione amissi sequitur omnes illorum bonorum alienationes illo tempore ab hæretico factas nullius esse roboris, aut momenti, & per sicut facile revocari posse. Et ex hoc etiam necessario sequitur sicut posse revendicare bona illa sic alienata de manibus cujuscumque possessoris, hæc tamen conditione, ut pretium, quo bona illa distracta fuerant, restituat emptori, si tale pretium, aut aliquid illi æquivalens apud hæreticum inveniat. Si autem nec pretium bonorum illorum, nec aliquid aliud loco pretii apud hæreticum reperiat, poterit hæc sicut bona illa

etiam nullo dato pretio revendere: quamvis emptor bona fide emerit. Hoc docet Joannes And. loco superius allegato, & post illum Dominicus de Sancto Gemignano eodem loco. Et pro hujus rei confirmationem afferunt argumentum ex l. si cum dotem, §. fin. & l. seq. ff. sol. ma. & ff. de legat. 1. l. Imperat. & l. seq. Ego autem adduco simile, quod rem propositam maxime confirmat. Si Petrus emit bona fide à Joanne rem furtivam, quam Joannes furto furripuerat à Francisco, & postea Franciscus rem illam ab eo furto sublatam inveniat apud Petrum, juste revendicabit eam à Petro, etiam si non inveniat apud furem pretium, aut aliquid aliud tantundem valens. Hoc autem non ob aliam causam juste faciet, nisi quia rem suam à quocumque possessore juste petere, & revendicare potest. Cum igitur hæreticus à die commissi criminis, sit privatus dominio omnium bonorum, sequitur inde illum, si aliquid ex illis bonis vendiderit, rem non suam, sed sicut vendidisset. Et per consequens sicut à quocumque possessore illam posse petere. Hoc tamen intelligendum est antequam legitimam præscriptionis tempus sit elapsum. Nam bona hæreticorum tenentes præscribere possunt: etiam contra Romanam Ecclesiam spatio annorum quadraginta, ut patet in cap. fin. de præscrip. lib. 6. Ex quo textu apertissime colligitur, illum qui aliquid ab hæretico bona fide emit putans eum esse Catholicum, post spatium quadraginta annorum præscribere contra sicut: & post illud tempus elapsum, sicut non posse illud ab emptore vindicare. Nam textus ille non solum filiis hæreticorum, sed etiam aliis extraneis concedit præscriptionem: modo illi Catholici sint, & bona fide possederint, credentes se à viro Catholico bona illa recepisse, licet ante talem receptionem ille fuerit factus hæreticus. Ex hoc etiam dominio bonorum perditio, sequitur hæreticum non posse facere testamentum, & si quod forte constituerat in morte testamentum, nullius esse roboris, aut momenti: quia de propriis faciendum est testamentum, non de alienis. Sicut enim non potest bona illa vendere, nec permutare, ita etiam non potest quovis modo, in alicujus alterius dominium, & potestatem derivare, sive hoc faciat per donationem inter vivos, sive per testamentum: quia omnes tales bonorum translationes, ut ratæ permanent & firmæ, exigunt, ut sit in transfereute verum dominium, quo eum privatus sit hæreticus, sequitur illum nullam talem bonorum translationem juste facere posse. Ex hoc bonorum dominio ante judicis sententiam amisso, sequitur etiam hæreticum ante talem condemnationem teneri reddere sicut omnia bona, quæ habebat: quando effectus est hæreticus, & si non reddiderit peccat, mortaliter. Scio enim hanc conclusionem esse contra multorum Juristarum sententiam, ideo illam tam manifestis evidentibusque rationibus probare intendo, ut quicquid eas legerit, manibus (ut dicitur) & pedibus in meam transeat sententiam. Primo quidem probatur per hoc, quod bona illa jam non sunt hæretici (ut manifeste ostendimus), & major Jurisperitorum pars concedit sed sunt sicut: ergo hæreticus illa retinens, non suam, sed alienam retinet: ergo retinendo peccat, præsertim cum invito sicut retinet. Consequentia ista probatur per Beatum Augustinum in Epistola ad Macedonium dicentem. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur, penitentia non agit: sed simulatur. Hæc Augustinus. Et habentur in cap. si res. 17. quaest. 6. Forte aliquis hic respondebit: Augustini verba non esse propositio nostræ convenientia quia

quia Augustinus loquitur (ut ex ejus verbis constat) de re aliena, ex cujus acquisitione, aut possessione habenda, commissum est aliquod peccatum: bona autem hæretici non sunt talia: quia hæreticus pro talium honorum acquisitione (ut præsuppono) non peccavit. Quo fit, ut bona hæretici talia non sint, ut juxta dictum Augustini, hæreticus illa reddere teneatur. Aliter ergo, & apertius hanc meam sententiam sic proba. Per præceptum istud, non furaberis, non solum prohibita est rei alienæ ablatio: sed etiam quævis rei alienæ detentio, invito domino. Alioqui oporteret dicere furem solum peccare, quando rem alienam (invito domino) aufert, & non quando domino invito retinet, quod est aperte erroneum. Nam Beatus Hieronymus super illud Proverb. 29. Qui cum fure participat, &c. sic ait: „ Non enim fur solummodo, sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, quærenti possessori pecuniam, quam perdidit, non vult indicare cum valet. ” Hæc Hieronymus. Et habentur in cap. Qui cum fure extra de furtis. Quæ verba sic intelligenda sunt, quod tenetur indicare non furem, sed furtum: & hoc quando furtum recuperari possit. Si ille, qui non judicat rem furtivam, cum potest, reus tenetur furti: multo magis reus tenebitur, qui vere detinet apud se. Et ita consequens est, ut non solum rei alienæ ablatio: sed etiam detentio sit divino præcepto prohibita. Ex quo apertissime convincitur hæreticum peccare, cum bona olim sua apud se retinet, & non reddit fisco: quia retinet alienum invito domino. Si quis forte obstinato animo volens partem oppositam tueri, responderit, fatens per tale præceptum divinum prohiberi detentionem rei alienæ, non tamen omnem: sed solum detentionem rei furto sublatæ. Hoc dictum facile refellitur & convincitur, esse falsum: quoniam juxta illud oporteret fateri hæredem non peccare, cum non reddit, & potest reddere legatum in testamento relictum legatario: nam ille, & si rem alienam retineat, non tamen furto sublatam, & ita juxta præfatam responsum oporteret dicere illum sic retinendo, non agere contra illud præceptum: Non furaberis. Et si contra illud non peccat, non est aliud contra quod peccet. Eadem etiam ratione oporteret concedere illum, qui depositum ad custodiam sibi commissum non reddit domino suo illud petenti, non peccare, quamvis depositi dominus sit cordatus vir, & ad usum rei honestæ depositum petat. Is enim non detinet rem furto sublatam, quo fit (ut juxta concessa) non agat contra illud præceptum: Non furaberis. Et per consequens sequitur illum non peccare quum non contra aliud præceptum agat. Hoc autem tam aperte est falsum, ut nullus homo sanæ mentis illud concedere audeat: quia lege naturali tenetur homo depositum reddere præsertim quando sic reddens non majus irrogat damnum domino, quam si retineret. Multa alia absurda, & absque inconvenientia sequerentur ex illa præcepti divini erronea interpretatione: quæ quia longum esset, & tediosum sigillatim recensere, ideo prætermitto. Fateantur igitur necesse est per illud præceptum, Non furaberis: esse prohibitam omnem alienæ rei (invito domino) retentionem, quæ non est jure divino, aut humano concessa. Quo fit, ut quisquis alienum, contra domini voluntatem retinet, per talem retentionem peccet: nisi forte talis alieni retentio sit illi à jure, aut à judice recte judicante, aut mandata, aut concessa.

Nam si auctoritate juris, aut judicis recte judicantis retineret, sic retinendo non ageret contra præceptum

divinum: & per consequens non peccaret. Tunc enim licet contra voluntatem domini actualem alienum retineret: non tamen contra voluntatem debiam quam, ipsemet dominus habere tenebatur. Ipse enim dominus deberet tunc velle rem suam apud aliud detineri quando talis detentio est à jure, aut à judice recte judicante mandata. Et si tunc vellent rem suam sibi reddi, male vellent: & volendo peccaret. Ob hanc causam, is qui non reddit domino furioso petenti gladium ab eo ad custodiam commissum, non peccat: quia jure naturali prohibetur, ne reddat. Ob eandem causam si judex præciperet ei, quod depositum custodiat, ut domino non reddat: sed nomine suo custodiat, propterea quod creditor petit ex tali deposito solutionem debiti sibi dari, quam aliunde se habere diffidit, si depositum non domino reddatur, eo casu is qui depositum non redderet, non peccaret: quia auctoritate judicis recte judicantis, qui creditoris indemnitati juste prospicit, hoc faceret. Dixi auctoritate judicis recte judicantis: quoniam si mihi constaret judicem injuste judicare, cum mihi alienæ rei invito domino detentionem præcipit: quamvis ille præcipiat: ego male agam, si retineo. Ex quo sequitur, ut si de re, quam scio vere esse alienam, ego cum domino illius coram judice aliquo contendam & judex, aut amore, aut odio, aut imperitia deceptus, pro me judicavit, decernens rem illam esse meam, tunc injuste rem illam detineo: quamvis auctoritate judicis detineam, quia judex tunc injuste judicavit. Si tamen res mihi esset dubia: de qua cum alio coram judice contendam, & judex decerneret esse meam: tunc ego juste retinere possum, quamvis illa esset aliena: quia ego ignoro esse alienam, & auctoritate judicis, quem credo recte judicasse, illam retineo. Quoties autem quis sine juris, aut judicis auctoritate retinet alienum invito domino, peccat & agit contra præceptum illud: Non furaberis, per quod non solum prohibetur rei alienæ ablatio: sed etiam detentio invito domino. Ex his apertissime convincitur hæreticum teneri ad reddendum fisco bona, quæ nunc retinet, & olim fuerunt sua, & si non reddiderit, peccabit mortaliter: quia retinet alienum invito domino. Nam bona, quæ hæreticus retinet (ut jam probavimus) non sunt sua: sed fisci, cui ipso jure applicata sunt: quæ bona hæreticus invito fisco, & sine aliqua juris auctoritate retinet: ergo injuste retinet quousque fisco, qui est verus illorum dominus, illa reddat. Nullum est enim jus, quod concedat hæretico cum privatione domini possessionem bonorum olim suorum usque ad judicis condemnationem. Si enim aliquod tale ostendatur, ultroneus cedam arenæ, & quæ dixi libentissime recantabo. Scio tamen nullam talem esse legis concessionem in toto jure canonico, à quo petendum est hujus causæ iudicium. Forte hic mihi aliquis objicet textum cap. cum secundum leges: de hæreticis lib. 6. in quo prohibetur fisco, ne bona hæretici ante illius condemnationem apprehendant. Sed certe si littera illius textus diligenter (ut decet) circumspectatur, nullo pacto meæ sententiæ contradicit, immo potius favet. Nam textus ille privat quidem (ut ante diximus) hæreticum dominio bonorum: non tamen concedit illi possessionem illorum usque ad condemnationem. Quoniam & si in §. confiscationis, prohibetur fisco ne ante condemnationem hæretici bona illius capiat: non tamen per hoc concedit hæretico retentionem illorum bonorum usque ad præfatam condemnationem. Nam ex hoc, quod fisco capere non potest: non est consequens, ut hæreticus red-

reddere non teneatur. Possunt enim hæc duo in multis saepe coherere, ut Petrus rem aliquam auctoritate sua à me capere non possit: & tamen ego illi reddere teneatur. Primo, casus est expressus in l. si quis ad se fundum, & l. fin. C. ad l. Jul. de vi. publica, sive privata. Deinde, legatarius non potest legatum in testamento sibi relictum, auctoritate propria sibi capere, & tamen heres tenetur illi reddere. Rursus, qui fraude alium in venditione alicujus rei læsit, tenetur illi ad damni recompensationem: ipse tamen auctoritate propria, talem ab illo recompensationem sumere non potest, præsertim si illam potest à judice impetrare. Multa alia sunt similia exempla, quæ non est opus recensere, per quæ ostenditur non esse consequens, ut hæreticus non teneatur bona sua ante condemnationem reddere fisco: ex hoc, quod fisco ante talem condemnationem non potest illa apprehendere. Cum igitur nullum sit jus, quod hæretico bonis suis privato concedat bonorum suorum possessionem, quousque sit à judice competente de suo crimine damnatus: convincitur inde hæreticum teneri ad reddendam bona sua fisco, absque aliqua judicis condemnatione, ita ut si illa non reddat, peccet mortaliter. Hoc tamen solum credo esse verum, postquam sibi jam constat se esse, aut fuisse hæreticum: quia ante hoc forte per ignorantiam excusabitur. Potest etiam hæc sententia probari per illas omnes rationes, quibus probatur legem pœnalem ipso jure inflictam obligare reum in conscientia ad pœnam à jure decretam, absque aliqua judicis sententia sustinendam. De qua re, quia satis diffuse tractabo in eo opusculo, quod de lege pœnali nunc edere paro: ideo nihil amplius nunc dicere statui. Ad illum igitur locum mitto lectorem, ut ex illo hauriat, quæ huic proposito conveniunt. Ex his ergo patet errasse omnes illos, qui docent hæreticum ante sui criminis condemnationem, non teneri ad reddendum bona olim sua fisco, qui ipso jure à die commissi criminis factus est illorum dominus. Et certe (ut ingenue fatear) ego non possum intelligere, quod pacto hæc duo coherere possint, ut fisco sit ipso jure dominus omnium bonorum hæretici, & quod hæreticus bona illius retinens, non teneatur illa reddere fisco, qui jam est verus illorum dominus, præsertim quum nulla lege sit hæretico concessa bonorum illorum possessio. Pugnans enim velut ex diametro hæc duo. Hæreticus absque aliqua juris, aut judicis, auctoritate retinet bona fisci, & non tenetur illa reddere fisco. Necessè est igitur, ut quemadmodum hæreticus ipso jure privatus est dominio bonorum suorum, & fisco factus illorum dominus: ita etiam hæreticus ipso jure teneatur reddere bona sua fisco: præsertim quum jus non concedat hæretico, ut quamvis sit dominus bonorum suorum privatus, possit illa retinere, quousque de crimine hæresis sit à judice competente damnatus. Et hæc meam opinionem tenet Abbas in cap. dilecti, extra de arbitris. An autem hæreticus respiciens, & sui criminis poenitentia, recuperet talium bonorum dominium, quod jam per hæresim amiserat, parvè difficultatis quæstio mihi videtur esse: cum tam expresse sit de illa definitum in cap. vergentis: extra de hæreticis. Considerata enim personæ, & erroris qualitate, compensata etiam ejusdem hæretici præterita obstinatione, & præterita poenitentia, quæ ex signis exterioribus utrumque consequari potest: poterit judex, aut omnia bona, aut aliquam illorum partem misericorditer illi condonare. Tam longa etiam potuit esse & tam ferrea hæretici obstinatio, ut etiam si illum postea poeniteat, justè agat judex: si

Tom. II.

decernat nihil ex bonis illius esse illi relinquendum. Nam quamvis hæreticus poenitentiam mortis effugiat: non tamen ideo consequens est, ut à reliquis omnibus poenitis ipso jure absolvatur.

CAPUT VII.

De secunda hæreticorum pœna, quæ est privatio cujuslibet domini super quoscunque subditos.

Altera hæreticorum pœna est, privatio cujuscumque prælationis jurisdictionis, & domini, quod antea super homines cujuscumque conditionis habuissent. Nam qui hæreticus est, ipso jure omnibus talibus rebus privatus est: sicut aperte decernitur in capitulo finali. Extra de hæreticis. Sed quia multa circa textum illum notata digna occurrunt: decrevi verba textus in medium proponere, ut hi, qui legerint, rei difficultatem animadvertere possint, & quæ circa illum textum dixerimus, notata digna esse intelligant. Littera illius capituli sic habet: Absolutos se noverint à debito fidelitatis, domini, & totius obsequii, quicumque lapsis manifeste in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallato tenebantur stricti. Hactenus littera illius finalis capituli, de hæreticis. In verbo. Absolutos: aperte ostenditur sententiam esse à jure latam, & non à judice inferendam. Non enim præcipit, ut absolvantur: sed ipsis obligatis dicit: ut noverint se absolutos. Quo fit, ut ad hanc pœnam sustinendam reus in conscientia obligetur, etiam ante omnem aliam judicis sententiam, sicut supra diximus de privatione cæterorum bonorum. Per hoc quod dicit, à debito fidelitatis, ostenditur aperte illum, qui custodit depositum ab hæretico sibi ad custodiam commissum, non debere reddere hæretico depositum suum petenti. Nam & si lege naturæ teneatur omnes in reddendo depositum, fidelitatem servare: ab hac tamen obligatione fidelitatis liberatus est quisquis ab hæretico depositum accepit, ut jam post illius manifestam hæresim, non teneatur illud hæretico reddere. Quo fit, ut si hæretico per Ecclesiam damnato, fisco bona illius apud alium sub sacramento fidelitatis deposita, apprehendere velit, is qui depositum custodiebat, teneatur illi dare, nec possit à non reddendo per exceptionem depositi, aut fidelitatis se excusare: quoniam jam ab hoc debito fidelitatis est per Ecclesiam absolutus. Eadem ratione præses alicujus oppidi, aut arcis munite, qui sub fidelitate, & juramento illud ab aliquo domino accepit, si talis dominus factus fuerit hæreticus, non tenebitur illi castrum, aut arcem restituere: nec ad mandatum sit illius alicui alteri reddere, præterquam fisco, cui ipso jure competit talium rerum dominium. Multa etiam sunt, quæ Domino tenetur reddere quisquis illi fidelitatem juravit, videlicet, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile: quæ omnia referuntur, & declarantur in cap. de forma fidelitatis, vigesima secunda, quæstione quinta. Ab his omnibus fidelitatis partibus ipso jure absolutus est quisquis ad fidelitatem alteri servandam, obligabatur postquam ille, cui tenebatur, factus est hæreticus. Nisi forte in aliquo casu ad aliquam illarum reddendam jure obligaretur divino, quod per jus humanum tolli non potest. Credo enim humanitatis jura in casu extremæ necessitatis etiam hæretico esse jure divino debita. Necessitas enim non est subdita legi. Propter hanc eandem absolutionem à debi-

Da

to

to fidelitatis conjux fidelis non tenetur conjugi hæretico debitum reddere: quia per hæresim alterius ipse hoc fidelitatis debito liberatus est. Non tamen ab omni: sed solum ab eo quod præcepto exprimitur affirmativo, conjuges enim propter sacramentum matrimonii, quo sunt affecti, duplici fidelitatis vinculo sibi invicem obligantur, altero affirmativo, altero negativo. Nam qui conjugum, tenetur alteri debitum reddere. Tenetur etiam non reddere corpus suum alicui alteri, quam suo conjugi. Ab hac fidelitate, quæ præcepto negativo exprimitur, numquam alter conjugum potest esse liber, quamlibet alter conjux peccet, etiam si labatur in crimen hæresis. Quia & si propter alterius adulterium, aut hæresim, possit innocens petere, & impetrare divortium, divortio tamen inter eos facto, nullus eorum altero vivente poterit alicui alteri quam suo conjugi quomodolibet copulari, ut aperte docetur in cap. quæsitiv & in cap. Quanto extra de divortiiis. A sola ergo illa fidelitate, quæ præcepto exprimitur affirmativo, liberatus est ipso jure conjux fidelis, postquam alter in manifestam lapsus est hæresim, ita ut jam non teneatur illi debitum reddere. Sed hæc fidelitatis, & debiti absolutio non solum hoc humano, & canonico jure: sed etiam divino roboratur. Nam sicut per adulterium corporale privatur adulter jure debitum exigendi: ita etiam per adulterium spirituale, quod est hæresis, eodem jure privatur: quia pejus est ad alterum spirituale quam corporale. An autem hæreticus respiciens recuperet per penitentiam hoc jus petendi debitum, quod per hæresim amiserat: dubia aliquibus videtur esse quæstio. Urbanus tertius in cap. de illa extra de divortiiis, decernit mulierem, quæ sine judicio Ecclesiæ separata est à viro lapsa in hæresim, esse reddendam viro, postquam ad fidem Catholicam reversus fuerit, compellendamque esse jubet, si illa ad virum reverti noluerit. Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum illum nullatenus dicit esse compellendam: glossa vero super capitulum. Quanto eodem titulo, & super capitulum final. de conver. conjugat. non veretur aperte contra illum textum sentire, dicens: mulierem, quæ à viro hæretico recessit, si ille ad fidem redeat esse semper compellendam ad recipiendum virum suum, etiam si judicio Ecclesiæ ab illo recessisset. Et si illa ad virum redire noluerit: dicit illam esse cogendam ad monachatus religionem suscipiendam. Pro hujus sententiæ probatione citat cap. ultimum de conversione conjugatorum. Ad præfatum vero capitulum, de illa respondet illud esse correctum per sequens cap. quanto eodem tit. Abbas in eisdem capitulis, glossæ sententiam, & opinionem non usquequaque probat: sed utcumque ab ea discedit, nullam tamen affert rationem, per quam se merito ab illa discessisse nobis ostendat. Ego vero rationes proferam, quibus glossam tota aberrasse via apertissime convincam. Et primo suo ipsius gladio glossatorem transigam: quia illud capitulum ultimum de conversione conjug. quod pro se citavit, clarissime contra illum pugnat. Nam capitulum illud (ut ex littera illius facillime colligi potest) non loquitur in favorem hæretici respicientis, & penitentiam agentis: sed mulieri, quæ à viro hæretico judicio Ecclesiæ fuerat separata, favet, conceditque illi, ut ipso nolente libere ad Monachatus religionem, si velit convolare possit. In quibus verbis id summopere annotandum est, quod ait: libere convolare: non ergo cogenda est ad religionem, etiam si ad virum reverti noluerit. Alioqui si ad religionem (ut glo-

sa docet) cogenda est, non ergo libere ad religionem convolabit, quemadmodum textus ille dicit. Præterea si mulier libere, & non coacta potest nolente marito intrare religionem: ergo etiam potest nolente marito manere extra religionem separata ab illo. Consequentia ista inde manifeste convincetur esse bona, si ostendamus causam, & originem, ex qua oritur, ut mulier fidelis, quæ judicio Ecclesiæ fuerat à viro suo hæretico separata, illo ab hæresi reverso nolente, possit intrare religionem. Causa certe non est alia: nisi quia ille per hæresim tamquam per adulterium spirituale amisit jus petendi debitum ab uxore, & sic illa facta est libera ab hoc debito. Nam si ille non incidisset in hæresim, mulier non posset (illo invito) intrare religionem, sicut expresse definitum est in cap. quidam, & in cap. cum sis extra de conversione conjugatorum. Causa igitur illius divortii per ingressum religionis facti aperte ostensa, percontator glossatorem, an maritus hæreticus ad fidem rediens recuperet per penitentiam illud jus petendi debitum, quod per hæresim amiserat, an non? Si dicit hæreticum recuperasse tale jus, oportebit, fateri uxorem illius (ipso nolente) non posse libere intrare religionem: quia per talem ingressum negaret marito, quod illi jam jure debeatur. Si vero dicit hæreticum per penitentiam non recuperasse tale jus per hæresim semel amissum, consequens est, ut non teneatur uxor illi post penitentiam debitum reddere, sicut nec ante penitentiam: quia (ut concessum est) hæreticus post penitentiam non habet majus jus ad petendum debitum ab uxore quam habebat ante penitentiam. Quo fit, ut sicut post penitentiam mariti olim hæretici, potest uxor ejus illo invito libere intrare religionem: ita etiam possit illo contradicente libere manere in sæculo, absque cohabitatione cum viro, & absque redditione debiti: nam una profus & eadem est utriusque separationis ratio. Verum (ut apertius loquar) non est opus dare optionem glossatori: quia velit, nolit, tenetur fateri, hæreticum post penitentiam non recuperare jus petendi debitum ab uxore: quia obligatio semel extincta non reviviscit. Nam ob hæc hæreticus post penitentiam non necessario (ut supra diximus) recuperat bona, quæ per obstinationem hæresis amiserat, ut definitum est in cap. Vergentis extra de hæreticis: ergo eadem ratione etiam non recuperabit jus petendi debitum, quod semel amiserat. Et inde necessario consequitur, ut uxor illius libere possit illi negare debitum conjugale, & per consequens non erit compellenda ad recipiendum virum, ab infidelitate revertentem, à quo judicio Ecclesiæ fuerat separata. Et certe miror quomodo in tam apertum errorem fuerit lapsus glossator, præsertim cum tam expressa habeatur contra suam sententiam Ecclesiæ definitio, in præfato cap. de illa. Quod autem dicit illud cap. correctum esse per sequens cap. non ita est: quia sequens cap. nullo modo contradicit, primo cum loquatur de diversis. Nam cap. de illa loquitur de muliere, quæ judicio Ecclesiæ separata est: quæ cogenda non est ad virum ab hæresi revertentem redire, cap. autem sequens in fine loquitur de illa, quæ proprio judicio separata est à viro infideli, quæ post viri penitentiam cogenda est ad illum redire, quamvis hoc non satis clare ibidem exprimitur: sed per conjecturas ex eo elici debet. Causa autem hujus discriminis inde (meo judicio) provenit, quod Ecclesia vult nullam penam hæretico infligi, antequam ille sit ab eadem de crimine suo damnatus, ut patet in cap. ut inquisitionis, &

in cap. cum secundum leges, de hæres. lib. 6. Et si quid contra hoc tentatum fuerit, ipso jure habetur pro infecto. Mulier ergo, quæ proprio judicio se à viro infideli separavit: quia virum suum pœna hæretici punivit, antequam ille fuisset ab Ecclesia damnatus, ideo talem separationem pro infecta judicat Ecclesia: & ideo tamquam si ab illo numquam fuisset separata, illi adhærere compellitur. Quæ autem judicio Ecclesiæ separata est: virum suum punit, postquam ille de suo crimine ab Ecclesiastico iudice damnatus est. Ego enim iudicium illud Ecclesiæ, quod dicitur esse necessarium ad hoc, ut illa possit (nolente marito) intrare religionem, non aliud puto esse, quam sententiam iudicis Ecclesiastici, qua declaratur virum illum esse hæreticum: qua sententia data, sine ulteriori separationis sententia, satis esse censo, ut mulier possit à viro suo separari, & ut separata non possit compelli ad recipiendum virum suum ab hæresi redeuntem. Sed jam opus est, ut pergamus ad explanationem reliquarum partium illius præfati cap. Absolutos. Nam illos, qui hæreticis erant aliqua obligatione affecti, non solum dicit esse absolutos ab omni debito fidelitatis: sed etiam ab omni debito dominii. Pro cuius particulae clariori intelligentia, oportet prius lectorem de multiplici- tate dominii admonere. Quoddam enim est dominium super homines, aliud super cæteras res irracionales hominibus servientes, ut sunt pecunie, vestes, domus, agri, vineæ, pecora, & cætera his similia. De dominio istarum rerum non est nobis sermo in isto cap. quoniam de illo discretimus superius, juxta id, quod definitum est in cap. cum secundum leges. Dominium super homines est adhuc multiplex: quia quoddam est naturale, aliud civile, aliud Evangelicum. Dominium naturale super hominem aliquid nullum est nisi paternum, hoc est, quod habet pater super filios. Omnes enim in lege naturæ fuissent liberi: nec dominium aliquid esset in statu innocentie nisi paternum. Pater enim tunc aut mater sicut modo, habet potestatem docendi, admonendi, & corrigendi, filios, & filii tunc tenebantur, sicut nunc tenentur obedire parentibus, & illis in necessitate si aliquam paucitatem, servire. Hoc dominium ideo dicitur naturale: quia naturalis ratio docet, ut filius subveniat patri, & serviat illi, à quo receipt esse, & obediat illi ad quem spectat admonere, & corrigere eum. Hoc dominium etiam si naturale sit, non est adeo fixum, & immobile, ut tolli non possit, sicut est reliquum dominium naturale, quod quisque homo habet super res necessarias ad suæ vitæ conservationem. Nam (ut recte Beatus Thomas docet) prima, & maxima naturalis inclinatio est ad esse: & ideo supra quamlibet rem necessariam ad suæ vitæ sustentationem, habet naturale dominium. Hoc dominium, nec homo à se abicere potest: nec propter quodcumque peccatum per iudicium tolli. Unde idem B. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 4. in solutione secundi argumenti, dicit: quod si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum, sibi occulte ministrarum sumat: quia non sumere esset (ut ait) seipsum occidere. Non est tam firmum, & fixum dominium patris super filios: quoniam filius re ipsa non est tam necessarius patri ad suæ vitæ sustentationem, sicut reliquæ res. Quo fit, ut pater possit illud à se abicere dominium: & superior in penam alicujus delicti illud à patre tollere. Primum patet in emancipatione: Quoniam per illam pater filium in sua constituit potestate, & renunciat juri, & dominio, quod super filium habet. Secundum patet

insit. Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur, ubi inter alia hæc habentur. Cum autem is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, civitatem amittit, sequitur, ut qui eo modo de numero civium Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo desinat liberi in potestate ejus esse: hæc ibi. Ad eundem modum fit in peccato hæresis: Quoniam propter hoc crimen pater amittit dominium, quod super filios habebat, & filii efficiuntur sui juris. Nam filii, qui aliqui fuissent subditi patri, illo in hæresim obstinate labente, sunt ipso jure absoluti ab omni debito dominii, quod super illos pater habuisset, ut dicitur in præfato cap. absolutos. Verum quia multæ putare potuissent, hoc non tam aperte in illo cap. fuisse definitum, ideo speciale de hac re decretum Ecclesia statueret voluit: Quo apertius id, quod nunc proxime diximus declaratum est. Tale decretum habetur in cap. quicumque, §. illorum de hæres. lib. 6. Et inde sequitur patrem hæreticum non posse filio impuberi substitutionem facere pupillarem. Quoniam inter cætera requisita ad pupillarem substitutionem hoc est præcipuum, ut testator impuberem in potestate habeat. l. 2. ff. de vulg. & pupil. Hoc etiam corollarium aliunde deduci potest: ex eo, scilicet, quod hæreticus interestabilis est. Nemo autem pro pupillo substituere potest, nisi prius sibi fecerit testamentum. d. l. 2. §. 1. Sed quæstio possit de hac re moveri, si pater ad suæ vitæ sustentationem antequam fieret hæreticus indigeret filio, & postea eadem indigentia perseverante, laberetur in hæresim, an filius patri hæretico indigenti sua opera, teneretur illi suas operas dare, illique usque ad suppleendam indigentiam ministrare. Cui quæstioni ego ita respondendum esse censo, ut filius eo casu majori obligatione teneatur patri, quam teneretur alicui alteri in necessitate existenti: quia licet filius sit jure ipso à patris hæretici dominio, & potestate liberatus, non tamen quoad opera misericordie illi exhibenda, in quibus pater quamvis hæreticus est præferendus. Hanc sententiam docet glossa dist. 30. cap. 1. & Panor. in cap. si quis. De hæreticis. Aliud est dominium super personas non naturale, sed civile, hoc est, quod non à natura, sed ab humanis statutis sumptum incipit. Et hoc etiam varium est, & multiplex, juxta variam auctoritatem, & potestatem, quam habent domini super eos, quibus dominantur. Est enim quoddam dominium, quod inducit servitutem in eo cui aliquis dominatur. Per hoc dominium habetur potestas utendi servo ad omnia, quæ voluerit: exceptis criminibus, quæ sine Dei offensâ perpetrari non possunt. Per hoc dominium habet Dominus super servos suos plenam potestatem utendi illis ad suam utilitatem: & non ad utilitatem illorum. Et per hoc differt dominium hoc à dominio regali: quia Rex nisi tyrannus esse velit, non utitur subditis ad suam propriam utilitatem: sed ad utilitatem subditorum. Dominus autem utitur servo non ad servi utilitatem: sed ad suam propriam, quemadmodum utitur pecoribus suis. Potest enim dominus servum vendere, permutare, donare, locare, prout facere potuisset de jumento aliquo. Quæ quidem misera servitus, & si propter peccatum introducta sit, jure tamen gentium approbata est, ut habetur in cap. jus gentium, dist. 1. Hoc dominium statim amittit quisquis in manifestam hæresim lapsus est, & servus illius si in hæresim domini non consentit, eo ipso est à debito domini absolutus. Sed difficultas oriri possit, an dominium illius servi transferatur ad filium, sicut cæterarum rerum, ita ut post hæ-

qua in præcedenti cap. disputavimus, merito hæreticis fuisse infligendam, probemus. Quisquis diligenter consideraverit quantum valeant superiorum hominum exempla ad movendum subditorum affectus facile intelliget, quam justum immo (ut verius dicam) necessarium sit, omnem prælationis potestatem ab hæreticis auferre. Scipio Africanus dicebat nullo se magis animari ad virtutem, quam suorum majorum exemplis: quorum imagines in foro depictas videbat. De Julio Cesare refert Plutarchus, quod cum ille in Hispania res quasdam Alexandri pictas cerne- ret, secum diu cogitabundus postmodum lacrymas fudit, cujus rei causam admirantibus sociis: Nonne (inquit) jure dolendum arbitrabimini, quod hujus ætatis Alexander tot gentes suo subdidisset imperio, qua nullum adhuc præclarum facinus ipse gesserim? Et inde ad res præclaras gerendas expeditur, & fortior effectus est. Si eorum, qui jam præterierunt exempla tantum vivorum animos movere possunt, multo magis id posse credendum est exempla eorum, qui supersunt, præsertim ea, quæ non solum audiuntur: sed oculis inspicuntur. Multo enim magis movent visa, quam audita. Themistoclem enim valde multum juvaverunt ad virtutem Miltiadis exempla. Nam Themistocles quum esset adolescens, in com- potationibus, aliique carnis illecebris volabatur. At postquam Miltiades factus Imperator, apud Marathonem devicisset Barbaros, nullus istam deinceps vidit quidquam agere indecorum. Percorantibus autem multis quid fuisset in causa, ut sic fuerit repente mutatus, respondebat, Miltiadis Trophæis se fuisse à somno suscitatum. Cicero libro quarto Tulcularum quæstionum refert: Demosthenem adeo vigilasse, ut cum opificibus de vigilia contenderit, & dolere se ajebat, si quando opificum an- telucana victus esset industria. Habent tantum vim, & potestatem exempla præsertim illorum, qui auctoritate aliqua reliquos præcellunt, ut ad illa imitanda subdito- rum animos non solum urgeant, sed quasi cogere videan- tur. Ideo Paulus reprehendens Petrum, eo quod pro- pter Judæos, qui à Jacobo Hierosolymorum Episcopo vene- rant, simulate se à gentibus subtraheret nolens edere cum illis, dixit illi: (Gal. 2.) Gentes cogis judicare. Nam quia Petrus supremus erat totius Ecclesiæ pastor, & rec- tor, cujus vestigia ceteri sequi debeant: ideo tanti æsti- mavit Petri exemplum Paulus, ut suo exemplo illum non solum ad judaismum alios suadere, sed cogere dixerit. Et merito sic dixit, cogitans quod multo plus movent exem- pla quam verba. Propter quod filius Dei factus pro nobis homo, volensque hominibus certissimam viam, qua ad gloriam cælestem pervenirent, ostendere: prius exem- plis, & postea verbis nos ad illam instruxit. Nam prius (ut ait Lucas Act. 1.) cepit facere, & postea docere. Quem locum pertractans Chrysostomus Homilia prima super Actis Apostolorum, ait: „Eoque Apostoli prius vite exemplis docebant, deinde verbis. Quin potius ne ver- bis quidem erat opus, quum clamarent opera.“ Hæc Chrysostomus. Hinc oritur, ut peccata publica graviora censentur, quam secreta, & tanto graviora, quanto à persona majoris auctoritatis, & quæ magis tenebatur bo- num aliis præbere exemplum, fuerint commissa. Ideo de malis Sacerdotibus Dominus per Prophetam Ezechielem cap. 44. ait: Facti sunt domus Israel in offendiculum iniqui- tatis. Quæ verba pertractans Beatus Gregorius parte pri- ma Pastoralis cap. 2. ait: „Nemo quippe amplius in Ec- clesia nocet, quam qui perverse agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc

„nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa ve- hementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.“ Hæc Gregorius. Causa autem hæ- jus inde provenit, quod qui publice peccat, alios ad idem faciendum suo exemplo hortatur, & ob hanc causam scan- dalizari dicitur: quia suo exemplo aliis offendiculum ad- traham parat. Propter quod Salvator noster hujusmodi scandalizanti acerbe minatur, sic inquit: (Matt. 18.) Quis scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & de- mergatur in profundum maris. Qui sic alium scandalizat, non solum de suo: sed etiam de alterius peccato, qui illius exemplo ad peccandum motus est, rationem reddet. Quod non fieret: nisi quia ille peccat alterius causa fuit, suo exemplo illum ad peccatum vehementer impellens. Hæc omnia quæ diximus, huc tendant: ut per illa notum omni- bus fiat quanta sit exemplorum potentia. Et si tantum valent quorumlibet hominum exempla ad movendos alio- rum hominum affectus: multo magis valebant exempla illorum, qui aliqua auctoritate, & potestate reliquos præ- cellunt. Et hinc luce clarius constare potest justum esse, ut omnis ab hæreticis auferatur prælationis, & domini- potestas. Timetur enim juste, ne his, qui præsit subdi- tos suos ad eandem hæresim suo exemplo trahat. Filii pæ- rentes suos sepe semper imitantur: & ad illorum exemplum vitam suam frequentissime componunt. Est enim à natura instum filius, ut parentes suos amet, & inde evenit, ut quæcumque in parentibus viderint, bona esse censent. At quod quisque bonum existimat, illud appetit, & illud imitari conatur: præter hunc mutuum pæ- rentum, & filiorum amorem, est adhuc alia, & quidem potissima causa, quæ filios ad parentum suorum imitatio- nem vehementissime impellit. Hæc est assidua parentum, & filiorum mutua conversatio. Parentes enim suos filii vi- dent, quum comedunt, quum bibunt, quum ludunt, quum jocantur, quum irascuntur, quum subannant. Vi- dent eorum ingluviem, ebrietates, prodigalitates, tenaci- tates, fornicationes, adulteria, & cætera id genus vitia. Audiant illos detrahentes, adulates, mentientes, ju- rantes, pejerantes, blasphemantes, atque alia multa, quæ virum pudicum non deceant, loquentes. Raroque contin- git, ut rem alicujus momenti parentes domi faciant aut dicant: quæ filios lateat. Quantum autem nocere possint mali hominum mores, his qui perpetuam cum illis habent consuetudinem, sacra scriptura multis in locis nos apertissime docet. Qui cum sapientibus graditur (ait Salo- mon Prov. 13.) sapiens erit: amicus stultorum similis effi- cietur. Et iterum: (Prov. 22.) Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. Et Ecclesiasti- cus eleganti similitudine hoc ipsum explicat cap. 13. di- cens: Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui com- municaverit superbo, induet superbiam. Denique Propheta Regius ait: (Psal. 17.) Cum Sancto Sanctus eris: & cum perverso perverseris. Si conversatio bonorum proficere po- test: conversatio malorum multo magis obesse poterit, quia sumus omnes natura procliviores ad malum, quam ad bo- num. Difficilimum est, ut quis inter malos innocenter conversetur. Propter hanc duplicem causam parentes suos filii magis quam ceteros homines imitantur: quia illos magis diligunt, & longiorem cum illis habent conversa- tionem. Faciliusque eorum malos imitantur mores, quam bonos, quia natura jam per peccatum quodammodo cor- rupta fortius impellit ad malum, quam ad bonum. Et

hinc evenit, ut raro contingat patri vitioso filius studio- sus. Scio quidem aliquando ita contingere: sed hoc rarum est, & albo notatum: ego autem de his, quæ frequen- ter, & quasi semper eveniunt loquor. Pater si est merca- tor, filios habet mercationi deditos, si lusor, filios habet lusores: si fornicator, filios nutrit fornicatores: si ido- lolatra filios docet idololatriam: si denique hæreticus est, eadem hæresi inficit filios. Hoc manifesta experientia in multis comprobatur esse, qui filios suos in eandem traxe- runt hæresim, in quam ipsi fuerunt lapsi. Testis est Bohe- mia, quæ postquam sub Venceslao illorum Rege, & Si- gismundo Romanorum Imperatore, Catholica fides defe- cit, numquam ad illam hucusque rediit, non ob aliam cau- sam: nisi quia filii illorum eundem à teneris annis imbi- bunt errorem, quo parentes suos affectos esse vident. Ti- meo certe, ut (quod Deus pro sua pietate avertere dig- netur) idem eveniat Germaniæ. Quia si filii eadem hæresi Lutherana à parentibus imbuuntur, qua illi nunc sunt infecti, tarde illa provincia ad fidem Catholicam conver- tetur. Adolefcens enim (ut ait Salomon) ju- ra viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Et egregius Poeta dixit.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.

Justum igitur fuit, & necessarium, à parentibus hæ- reticis patriam omnem auferre potestatem, & filios sui ju- ris sui que arbitrii facere, ne parentes sua auctoritate, suo- que exemplo filios in eandem hæresim traherent, & filii, juris auctoritate sulsi, possint, si velint parentibus res- sistere, tamquam qui jam sunt ipso jure ab illorum potes- tate liberati. Propter hanc causam multi Theologi, è quo- rum numero est Sanctus Thomas, docent non esse licitum infidelium parvulos invititis parentibus baptizare: quia ta- lis baptizatio (ut ajunt) verteretur postea in coartumeliam fidei Christianæ, quia parentes nutrent filios in errore suo: qui sic in pueritia nutriti, numquam postea fidem Catho- licam, quam in baptismo susceperunt, perfecte tenent. Alii tamen Theologi, inter quos recensetur Doctor subtilis Scotus, qui oppositam sententiam tuerent, pro- pter eandem causam censent, filios infidelium, qui invi- titis parentibus fuissent ex imperio principis baptizati, esse statim post baptismum à parentum cura & potestate remo- vendos, ne si apud illos manerent, à parentibus suis in eundem infidelitatis errorem traherentur, quo illi sunt infecti. Si justum est, ut patriæ potestatis dominium à pa- rentibus hæreticis auferatur, ne ipsi filios suos eadem hæ- resi inficiant, multo justius est, ut aliud quodlibet civile, & politicum dominium sit ipso jure à dominis hæreti- cis ablatum. Nam qui hoc tenent dominium pluribus no- cere possunt, quam qui solum dominio gaudent parvo, eo quod latius est dominium politicum, aut regale, quam paternum, & pluribus imperat Rex, aut Dux, aut Mar- chio, aut quivis alius dominus, quam qui solum est pater. Deinde plus potest Rex erga subditos, quam pater erga filios, & hinc evenit, ut sæpe subditi magis conen- tur Regem suum imitari, quam filii parentem. Possunt quidem Reges eo quod divitiis pollent, munera plurima dare, & quia tam potentes sunt, ut nullus subditorum illis resistere valeat, possunt subditos suos, cum eis li- buerit, variis pœnis affligere. Ex primo oritur apud infe- riores homines spes alicujus muneris recipiendi. Ex se- cundo oritur in subditis metus principis, ne videlicet cir- ca eos quod pœnarum potest, cum libuerit exerceat. Hæc duo videlicet metus, & spes solent animos hominum in

adulationem impellere, quidam enim, ut ea, quæ anxie cupiunt, assequi possint: alii vero ne pœnas, quas vehe- menter metuunt, incurrant, principibus suis: omni ex parte placere procurant. Ea faciunt, & dicunt, quæ sperant principi suo grata esse futura, ea dicere, & facere omittunt, quæ principi displicere intelligant. Qui molibus vestiantur (inquit Salvator noster) (Matth. 11.) in do- mibus Regum sunt. Nam in domibus Principum sunt adu- latores & qui hominibus placere student. Optime igitur, & eleganter Claudianus Poeta in lib. de quart. Honorii Au- gusti consulatu dixit.

Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus. Et libro primo de laudibus Stiliconis iterum ait: Scilicet in vulgus manant exempla regentum, Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur. Ex his igitur omnibus apertissime colligere licet, quan- tum Rex hæreticus possit subditis suis in fide nocere. Illius enim exemplum multos à fidei veritate deflectet: quia pars metu, pars amore illius, aut suarum rerum idem quod ille asseverabunt, docebant, prædicabunt. Cum Magi ab oriente venissent Hierosolymam, quaerentes Regem Judæorum tunc recens natum, turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. (Matt. 2.) Non est mirum, quod Herodes, qui alienigena, & tyrannus erat, turbetur audito nomine Regis, & illum perdere velit. Ita enim se res habet, ut si quis regnante ipso alterum ap- pellet ibidem regem, mille enim periculis exponat, atque in apertum tradat interitum.

At quod Hierosolyma audito nomine sui Regis, tunc nati, turbetur, res est admiratione digna: quia magis ob eam rem lætari, & exultari debuisset, quam turbari: quia sciebat Herodem alienigenam esse, & nihil de regni jure habentem. Quo fit, ut de ejectione tyranni, & regis adventu lætari debuisset, sed si Claudiani sententiam ad memoriam revocemus, facile intelligemus ita fieri oportuisse, ut Rege turbato, omnis Hierosolyma simul cum illo turbaretur. Quia (ut Claudianus dixit) mobile mutatur semper cum principe vulgus. Rege ergo hæreti- co existente necessario eveniet, ut populus in eandem hæresim trahatur. Quod si facere contempserit, multis tormentis, variisque cruciatibus ad id faciendum com- pelletur. Hujus rei plura, quam vellem, extant mani- fessissima exempla, è quibus aliqua producere decrevi, ut quæ diximus, illorum testimonio comprobemus. Multi fuerunt in populo Israel Reges idololatæ, ut Jeroboam, Baafa, Ela, Zambri, Amri, Achab, & Ochozias. His autem regnantibus, populus Idolis sacrificare non desti- tit, eo quod sequebatur perfidem Regum suorum insa- niam. In nova lege, & Evangelica multi fuerunt Reges hæretici, qui Ecclesiam Catholicam acerrime vexaverunt, adeo ut illorum causa multi à fide Catholica defecerint. Julianus Apostata, postquam fidem deseruit, Ecclesiam Catholicam plusquam quilibet alius Rex gentilis est perse- quutus. Multos fidem negare cogit, multos ad marty- rium perduxit. Reges Gothorum eo quod Arianæ hæresi erant infecti, magnam ob hanc causam Christianorum fra- gem fecerunt in Italia, & Hispania. De atroci crudelitate, quam in Christianos Vandali exercuerunt in Africa, extat historia duobus libris partita, & à Victore Episcopo conscripta. Solum unum ex Gothis, quod in Hispania con- tigit exemplum proferam: cujus meminit Beatus Grego- rius